



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 93. Vnus de duodecim antecedabat eos. v. 47.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

sumplerat aduersus passionis procellam, vt nullum vel pauoris, vel tædij signum amplius ostenderet. Contra, discipuli quoniam non orauerant, nec consolatione erant recreati, videmus eos factos animo imbecilles, & vnicunque eos stimulauerit Dominus secum obuiam ire, factis declarate, mortis horrorem in ipsis creuisse.

O Miseri mortales, qui orationem a deo commendatam Deo, & laudatam negligitis, in quanta pericula, vos conijcitis? videte hos discipulos. Videte contra, Christum Dominum, in oratione prolixum, agilem, & confortatum.

§. 93. *Vnus de duodecim antecedebat eos. v. 47.*

Inter turbas Christi Domini hostes; imo ante eas, antesignanum. Euangelista nominat Iudam, addendo. *Vnum ex discipulis*, ad terrorem nostrum, qui etiam panceum imitari possumus. Venit miser ille cum turba infidelium non tantum corpore, sed etiam voluntate capiendi Dominum & Magistrum suum. Nam solo corpore inter istas turbas fuisse non obfuisset, vt patet de Lot & Daniele &c. bonis inter malos.

Avertat Deus hanc à nobis excecationem: quanquam eam ipsam non minorem etiam nunc videamus pro dolor in quibusdam malucolis & desperatis peccatoribus, qui quo fuerunt in Ecclesiastico statu vel ordine aliquo, altius prouecti, per gratiam, tanto peiores facti sunt duces populorum ad peccatum, vt videmus in Luthero, Monacho, & Caluino Canonico, & pluribus, hodieque Apostatis qui imitantur eum, qui antecedebat turbas euntes ad malum.

§. 94. *Et appropinquabat IESV, vt osculetur eum. n. 47.*

Non pedetentim accedebat, sed accurrebat, ne præda visa elaberetur è manibus, & quasi salutando more Iudæorum amicabiliter, osculatus est Dominum, quo dato simbolo agnosceretur à turba sequente: sed o Iuda, quid agis? amoris signo vulnus infigis? mellis oblatione venenum propinas? charitatis officio sanguinem fundis? instrumento pacis mortem irrogas? Iuda, quid agis? quo decidisti, de Apostolatu ad Apostasiam, de consortio Angelorum ad contubernium dæmonum, de primis amicorum ad primos hostium; de sublimi gratiæ folio ad profundam abyssum damnationis: de participatione augustissimi corporis ad venditionem eius diuinissimi Sanguinis? Ah! quantum sæpe nequitix sub fronte blanda, quantum mali, sub larua boni tegitur. Vere iste Iudas est Princeps
larua